

Illustrissime et Reverendissime Domine.

Quas 10 octobris ad Reverendissimam Dominationem Vestram dedimus gratiarum actrices, redditae speramus. Quia verò non solum gratias agere, verum etiam referre, verè gratus animus solet, quum postest; voluimus et in eo gratitudinis genere nostris partibus non desesse, at R.D.V. praesentem Crucem memoriae loco transmittere, desiderantes illam eo animo a vobis accipi, quo mittitur atque donatur.

Praeterea circa Breve illud de reliquiis et suppellectile nostra Ecclesiastica non alienanda, nuper a Sua Sanctitate per R/m D/m V/m nobis petentibus obtenta, occurrit dubitatio, quam à R.D.V. nobis solvi per proximam occasionem commodam cuperemus. Vellemus pro decentibus nostris domesticis, et Collegii Societatis Halensis usibus tantum (cujusmodi v.g. posset esse in sacra aliqua Comedia usus Infulae aut Baldachini, uti vocant) ea quae alioqui in Brevi prohibentur vi verborum istorum (Interdicimus et prohibemus, ne de coetero quisquam audeat aliquid dictorum, ex Ecclesia extrahere, aut aliis Ecclesiis, Monasteriis seu locis piis commodare, aut quovis quae quaesito colore, extra Ecclesiam portare, etiamsi animum referendi habeat) extrahere, commodare, aut extra Ecclesiam portare, nobis liberum relinqui. Quod etsi nos semper intenderimus, quia tamen illud non expressimus, et verba aliter sonant, atque intentio nostra in progressu aliis non constabit, desideramus etiam Suae Sanctitatis piam super hoc declarationem (vel si opus sit dispensationem) saltem ore tenus humillime intelligere. Qua in re ut R.D.V. nobis gratificetur obnixè rogamus, ejusque nos SS. sacrificiis et precibus plurimum commendamus. Halae 26 Decemb. 1613.

R~~esmae~~ D/is V/trae

[Addictae

P.S. Illustrissima D.V.

dignetur tabulam reddere admodum R.

P. Generali, cui etiam ea de re scripsimus.

Maria Christierna Leonora.

(adresse):

Illustrissimo et R/dissimo Dno D. Roberto Bellarmino S. Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Amico suo. Roma. (cachet) Arch. Prov. Germ